

INNOCENTII II PAPÆ

VITA TRIPLEX.

(MURATORI, *Rerum Italicarum Script.*, t. III, pars 1, pag. 433.)

PRÆFATIO MURATORII.

(Ibid., pag. 274.)

Veterum Romanorum pontificum Vita a variis scriptoribus litteris consignatae, quæ sub Anastasii Bibliothecarii nomine circumferuntur, in Adrianum II et Stephanum VI, seu, ut rectius dicendum est, V, desinunt, quarum postremæ Guilielmo Bibliothecario tribuuntur. Subsequentium pontificum Vitas, par est credere olim, suisque temporibus, per bibliothecarios S. R. E. aliquosve historicos suisse conscriptas. Verum nonnullas tempus absumpit, reliquas superstites nullus bucusque in unum corpus colligit. Particulam ego addere decrevi. Nempe Estensis bibliotheca membranaceum in folio mihi codicem vetustum suppeditavit, ubi leguntur *Gesta paparum omessa in chronicis*. Rubrica autem hæc habet: *Sequuntur aliqua Gesta Romanorum pontificum aliquorum, quæ in chronicis communibus non habentur, quæ quia digna sunt memoria, et sunt ad posteriorum eruditioñem, recollecta sunt modo infra scriptio. Et primo de Leone papa IX, qui caput anno Domini 1050. Codex scriptus videtur circiter annum Christi 1360, aut saltē paucis post annis: ibi enim legitur eodem charactere exaratus *Libellus de præservatione ab epidemia, compilatus per magistrum Maynum de Mayneris de Mediolano, philosophæ, physicæ et artium professorem, anno Domini 1380*.* Habentur ergo ibi Vitæ Leonis IX, Stephani IX, Nicolai II, Alexandri II, Gregorii VII, Paschalis II, Gelasii II, Calixti II, Honorii II, Innocentii II, Coelestini II, Lucii III, Eugenii III, Anastasii IV, Adriani III, Alexandri III et Gregorii IX, quas nunc simul conjunctas in eruditiorum commodum profero. Erat ad manum et magno Annalium parenti Baronio fere similis eodex, eoque docente intellexi quis harum Vitarum collector fuerit: *Habet Vaticana bibliotheca* (scribit ille ad annum Christi 1073) *res gestas Gregorii pape VII, seorsum scriptas ab auctore ejus temporis, quas Nicolaus Aragonius in commentario quem de Romanis pontificibus scripsit, incipiens a Leone IX, ut se habent, intexit. Memoraverat etiam ad annum 1055 antiquiora Gesta Romanorum pontificum, quæ collegit Nicolaus Aragonius cardinalis.* Itaque collectorem habemus harum Vitarum *Nicolaum Rossellum Aragonum*, qui sub Innocentio VI pontifice maximo floruit, cardinalium S. R. E. collegio adactus anno 1356. Monet etiam nos Baronius ad annum 1097 præter collectionem istam, in *Vaticana bibliotheca* xna cum aliis ejusdem auctoris (scilicet Nicolai cardinalis Aragonii) commentariis exstare commentarium de jurisdictione quadruplici *Romanæ Ecclesiae in regnum Siciliae*.

Horum autem pontificum Vitæ a coëvis pleraque, aut saltē vicinis scriptoribus, ac præcipue bibliothecaris S. R. E. litteris commendate fuerunt. Et iis quidem sepe usus est Baronius ad suos contextendos Annales: usus est et Reynaldus. Verum, præterquam quod præstat habere conjuncta, quo Baronius pro instituto suo discepta exhibuit, multa etiam ille omisit, que nunc in publicum diem efferuntur. Ad hanc tanta quandoque diversitas intercedit inter lacinias e Vaticano Codice productas et Codicem nostrum, ut aliqua dubitatio mihi olim oborta fuerit num revera eadem ac nostra esset collectio Vitarum a Baronio laudata. Ministravit etiam Mediolanensis urbs codices duos antiquos, ubi eodem Vitæ leguntur, quorū ubi Ambrosiana servat, alterum bibliotheca capitulo metropolitani.

Ambrosiana bibliotheca ditissimum promptuarium quorundam summorum pontificum Vitas a Pandulpho Pisano conscriptas exhibet, has etiam collectioni presenti inserere Socii Palatini atque ego utilissimum putavimus. Incipiunt autem a Gregorio VII et desinunt in Alexandro III, atque a scriptore proficiuntur qui iisdem temporibus in vivis erat atque ea scriptis mandabat. Jamque testibus Felino, Onuphrio Panvinio, Ludovico a Sancto Carolo, alisque, noveramus Pandulphum ejusmodi Vitas elucubratum suisse; et ex iis etiam multa in suos Annales derivatar summus ecclesiastice historiæ illustrator Baronius. Imo Constantinus Cajetanus anno 1638 typis Romanis tradidit ac notis illustravit Gelasii II Vitam ab eodem Pandulpho conscriptam, ex qua intelligimus scriptorem hunc anno 1118 ecclesiastice militie ad scriptum in Romana curia vixisse. Sunt qui Pandulphum hunc eundem censem cum Pandulpho Mascæ purpuratorum Patrum senatum addito a Lucio III papa, ejusque vitam protrahunt ad annum usque 1198, imo et ultra. Placuit hac sententia Oldoino, Caveo et aliis; sed improbata est a Pagio ad annum 1121, num. 9, et jure quidem merito, ut mihi quoquo videtur. Neque enim veri videtur simile, Pandulphum historicum ita suam produxisse vitam, ut centum superaret annos, et vel centenarius arduas et longinquas legationes susciperet: quod de Pandulpho Mascæ cardinali legitur. Itaque duos excogitare homines æquius est, quibus nomen quidem et patria fuerint communia, sed plane diversa ætas atque persona.

Præterea ad collectionem nostram accident Vitæ Romanorum pontificum a Bernardo Guidonis concinatae, de quibus nunc seruo instituendus. Inter scriptores ecclesiasticos illustre est nomen Bernardi Guidonis, atque illius fama ita vulgata in eruditiorum libris, ut superfluum plane foret hoc aliquid asserre de eius vita et scriptis. Paucā tamen delibabo. Patria Lemovicensis fuit, natus circiter annum 1260, in vico Roeria, prope rupeq; Apis. Prædicatorum ordini nomine dato, insignia munera inter eos gessit, et anno 1305 inquisitor hereticæ pravitatis adversus Albigenses decretus est. Anno 1323 episcopus Tudensis in

Gloria constituitur, et sequenti anno ad Lodevensem, sive Lodovensem sedem in Gallia Narbonensi translatus. Anno tandem 1331 diem ultimum clausit, sepultus in templo Prædicatorum Lemovicensium. Vir magni consitii, magna experientia, expertaque prudentia, ac religiosus probatus; vir modestus atque sensatus, ac humilitate profundus; fama, gratia, scientia, ac eloquentia clarus; assimilatus insuper in fidei fervore, in zelo ac sinceritate religionis, Patribus primitivis. Hisce verbis delineatas habes præclarri hujus viri singulares prerogativas in ejus Vita antiquitus scripta et præfixa Speculo Sanctorali (hoc etiam spissum opus est ab ipso elucubratum, et adhuc luce carens), quam edidit Philippus Labbeus in Nova Biblioth. miss. libr. toin. II, pag. 512, ubi reliqua ad illius Vitam spectantia omnibus prostant. Appellatus autem fuit non Bernardus Guido, sed *Bernardus Guidonis*, hoc est filius Guidonis, uti Paulus Warnefridi, et Petrus Damiani, cui a Damiano fratre loco patris habitu agnomen accessit. Catalogum librorum, quos post se Bernardus reliquit, exhibuerunt Dupinius in Biblioth. eccles. et Caveus in Historia litteraria, ut alios omittant præclarissimi hujus scriptoris ac præsulis laudatores. Nunc nihil edocendum lector, asservari in amplissima bibliotheca Ambrosiana pervetustum codicem mss., complectentem varia Bernardi opera; diligenter sime scriptum, picturisque et auro exornatum se offert Liber. Diceres ipso auctore vivente, atque illius etiam jussu conscriptum concinnatumque, ut principi aliqui viro offerretur. Saltem non longe ab ipsis ætate exaratum puto per Antonium quemdam Hispanum, cuius est in calce mentio. Ibi ergo primo occurunt Flores Chronicorum, seu Catalogus pontificum Romanorum. Joanni XXII papæ dicatus est libellus. Auctor his verbis se prodit: *Frater Bernardus Guidonis ordinis Prædicatorum, inquisitor hereticæ pravitatis in regno Francie per sedem apostolicam deputatus.* Adnotatum in margine libri olim fuit: *Nota: Hic inquisitor postmodum fuit episcopus Lodenensis;* scribo, *Lodenensis.* Testatur autem Bernardus se ejusmodi Vitas collegisse usque ad annum XVI Joannis papæ, scilicet ad annum 1331. Et profecto ad eum usque annum deducitur narratio rerum, quanquam in fine epistolæ ad eundem papam hæc legantur: *Datum Avenione vii Idus Augusti, expletis annis iv, a creatione pontificatus vestri, nec minus nec amplius una die, anno Domini 1320;* scilicet eo anno hæc scripsit Bernardus; tum, sicuti usu venit, addiderit quæ identidem accidebant ad suum usque diei emortualem, sive ad annum 1131.

VITA PRIMA

AUCTORE BERNARDO GUIDONE.

Innocentius II, natione Romannus, ex patre Joanne de regione Transtiberina. Cœpit anno Domini 1130, quavis in quadam chronica inveniatur 1132. Sedit annis XIII, mens. VII, diebus VIII; vacavit episcopatus diebus II. Hic prius dictus est Gregorius, sicutque diaconus cardinalis S. Vincentii, qui a maiori parte cardinalium, et Petrus Leonis a minori ad papatum dispariter eliguntur; Gregoriusque Innocentii, Petrus Leonis Anacleti nomine alterantur. Sed Petro Leonis apud S. Petrum, ob parentesque sue fortitudinem, commorante, ipsam Ecclesiam cum manu armata, et per violentiam habuit, et aureum crucifixum, et pendentes coronas cum toto theatro auri et argenti, et lapidibus pretiosis tollens expoliavit. Hoc idem ad Sanctam Mariam Majorem magno thesauro ditatam, et aliis Urbis ecclesiis fecit; cum quo thesauro omnes pene Romanos corrumpit. Innocentius vero nullum in Urbe habens subsidium, cum cardinalibus Urbe egreditur, et in duabus galeis in Gallias proficitur, et a rege Francæ honorifice est receptus, et Gallicana sibi adhaerente Ecclesia, primo Remis, secundo Pisis conciliis celebratis, in papatu confirmatur, et Petrus Leonis ab omnibus episcopis Galliae et Germaniae anathematizatur. In chronica vero Martini, et in quadam alia scribitur quod primo in Claromonte, secundo vero Remis concilia celebravit

Ab eodem quoque Innocentio papa Remis concilio habito, et præsente rege Francorum, VIII Kal. Novembris, Ludovicus filius Ludovici, fraterque Phi-

lippi primogeniti inopinata, sicut præmissum est, morte subtracti, consecratur in regem circa annum Domini 1137, regnavitque annis XLIII.

Sub his temporibus erat pulchra et decora facies Ecclesiæ sponsæ Christi, dum diversorum ordinum et professionum varietate circumdata fasset: dum hinc Cluniacenses, inde Cistercienses, Carthusianos, Grandimoutenses et Præmonstratenses, inde etiam diversi habitus, atque professionis sanctimoniales, et mulieres Deo devote, et in paupertate, continentia, sub obedientia jugo regulariter viventes, se in religionis fervore invicem provocabant, et nova certatio in diversis locis monasteria fundabantur. B Carthusianos equidem monachi pullulabant paulatim, qui præ cæteris continentis, pesti avaritiae quamplurimos laborare videntes, terminos posuere, dum certum numerum hominum, animalium possessionumque, quos eis nullo modo prætergredi liceat, statuunt, et ipsi singuli singulas cellas habentes, perfectius mundo mori, et cæteris diligentius Deo vivere elegerunt.

Anno Domini 1132 Lotharius II imperator expeditiones in Italiam parat, et cum episcopis et archiepiscopis Innocentium papam Romanam deducens contra Petrum Leonis, qui monasterium S. Petri munierat, in Epompio Lateranensi in sede pontificali C potenter collocaret: ipse siquidem Lotharius in imperatorem ab ipso Innocentio coronatur. In quadam vero nova chronica scribitur ipso modo: « Anno Domini 1139 Innocentius hortatu Lotharii de Gallia,